

lius enim est christiano viro, fortius ecclesiæ homini, oratione non attingere injuriam, quam illam ulterio-
ri injuria retundere. Et quando injuriis dicitur con-
junguntur, fatius est homini prudenti linguæ procaci-
tatem linguæ abstinentia castigare.

Sed observemus rationem, qua Dominicus Mar-
tyre in suo laudato M. S., utitur ad oppugnandum
tres hosce Scriptores, quos in tribus præcedentibus §§.
nos confutavimus. Etsi enim, ait ille, commentitia
pœna, quæ Brutii dicitur imposita, vera fuisset; ad-
huc tamen Christi Domini temporibus debuisset abo-
leta omnino esse. Et hoc per legem Juliam, an. DCLXIII.
ab U. C., datam, qua pœnæ omnes in populos in Ro-
manæ Reipublicæ fide nutantes impositæ, per Sena-
tum abrogatæ, rescissæque fuerunt. Igitur, ille con-
cludit, nunquam Brutii potuerunt Christi Tortores
esse; & quia tempestate illa Brutiorum non erat pecu-
liare illud ferale munus, etsi aliquando fuisset; & quia
ex omnibus gentibus poterant homines ad illud ob-
eundum acciri, præcipue autem ex Judæis, qui capi-
tali odio Christum insequabantur.

At tamen hæc Martyris ratio satis esset solida, si
lex illa Julia, quam citat, expressius nominaretur, &
legentibus meliori modo constaret. Quia tamen de il-
la dubitatur, & non omnibus est legitima, & genuina;
ideo rationem non magni facimus, nec eam præceden-
tibus aliis præferre audemus. Nec pariter arridet no-
bis, Adversariis concedere, neque per hypothèsim,
Brutios aliquando infame munus illud exercitasse;
quando nos in superioribus ostendimus, nunquam in
Brutios a Romanis fuisse pœna illa animadversum; vel
quia nec primi ad Hannibalem defecerunt, vel quia
nec ultimi ab eodem recesserunt; & si aliquando fue-
runt